

pium spontè agendi. Sin verò violentum opponitur principi-  
pio spontè agendi, est causa sufficiens actionis invita.

§. III.

Ut ergo actio vel passio quædam verè dicatur coacta & vi-  
olenta requiruntur tria. *Primò*, Ut principium causale exter-  
num sit: quæ enim ab internò proficiscuntur principio, violen-  
ta non sunt. Non tantùm autem id pro externò principio est  
habendum, quod ratione loci vel subjecti reverà est extra eum,  
qui cogitur, sed omne illud, quod alias potentias movere potest  
contra imperium & nutum voluntatis. Ponamus enim, ali-  
quem ex sublimi locò decidente lædere juvenulam, quam  
adstare videt, dubio procul invitum eam lædit, & quidem per  
violentiam, & tamen principium non est subjectivè aut localitè  
extra decidente. Illud enim principium nullum aliud  
est, quàm gravitas corporis, quæ est in illo, qui decedit. Simi-  
liter si quis in horrore febrili contra voluntatem corpus jactet,  
aut in Epilepsia caput lapidi aut terræ allidat, in illis ipsa vis  
morbi & vehemens convulsio sunt principia, quæ motum vio-  
lentum illum cient, & tamen non sunt extra corpus, sed intra  
istud, quamvis non intra istum appetitum. (2.) Requiritur,  
ut principium istud extrinsecum etiam sit satis validum, ita ut  
ipsi non possit resisti. Hinc si puella Stupratori non satis vali-  
dè vim inferenti non satis repugnaret, quantum posset, non  
esset actio invita per violentiam. (3.) Ut agens ad patiens etiam  
nihil conferat ad actum illum, neque consentiendo, neque a-  
liò quòcunque modò concurrèdo. Unde rectè monet Gregori-  
us de Valentia disp. 2. quæst. 2. punct. 1. *non sufficere, ut actio seu passio  
sit invita per violentiam, si quis patiatur aliquid absq; positivò con-  
sensu voluntatis aut etiam voluntate renitente per actum positivum  
internum.* Nam etiam si quis non consentiat, vel et si voluntate  
renitatur, tamen si posset quoq; & deberet, actu externò efficienter  
resistere, hoc tamen non faceret, minimè id esset simpliciter invitum,  
sed minimum voluntarium indirectè ac proinde in culpam imputa-  
retur.

§. IV.

Sciendum tamen est, duobus modis aliquem ad actum  
ali-